

וְהַחֲנָן

DISSERTATIO PHILOSOPHICA,

DE

# UTILITATE

FLUENTE EX CONSIDERATIONE

# IMMORTALITATIS ANIMÆ,

Qvam,

*Ex Suffragio Cel. Philos Ordin. in Reg. Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE

# CAROLO FRID. MENNANDER,

Scient. Nat. PROFESS. Reg. & Ordin.

Facult. Phil. h. t. DECANO,

*Publico litteratorū examini, speciminis loco, submittere constituit*

AL. REG.

# ANDREAS ACHANDER,

Bicerneburg. Satacund.

Die XI. Martii, Anni MDCCXLIX.

Loco horisqve consveris.

ABOÆ, Excid. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

S:æ R:æ M:æ  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
Reverendissimo DOMINO,  
**D<sub>N</sub>. JOHANNI  
BROWALLIO**

S. S. Theol. DOCTORI consumatissimo, Diœcœseos Aboënsis PRO EPISCOPO, Regiæque ibidem Academie PRO CANCELLARIO eminentissimo, Venerandi Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI gravissimo, Scholarumque per Diœcœlin EPHORO adcuratissimo.

MÆCENATI MAXIMO.

**P**ari. Nisu. Reverendissime. Praeful. Publicam. Promoveret.  
Salutem. Et. Privatorum. Felicitati. Veliscaris. Et.  
Quemadmodum. Ille. Humilia. Respsuit. Testimonia. Ita. Hic.  
Omnium. Ore. Celebrandus. Erit. Ignoscas. Itaque. Humiliatus.  
Oro. Si. Mea. Veneratio. Ultra. Latebras. Pectoris.  
Intra. Qvod. Haecenus. Mansit. Et. Manebit. Perpetuo.  
Hodie. Proreparat. Si. Hic. Devotissimi. Animi. Mei. Affe-  
ctus. TIBI. Fuerit. Gratus. Adversa. Non. Extimescam. Fa-  
ta. Sed. Habebit. Id. De. Quo. Perpetuo. Sibi. Gratulabi-  
tur.

Reverendissimi Nominis TUI

humillimus cliens,  
ANDREAS ACHANDER.

*Maxime Reverendo atq[ue] Amplissimo Domino*  
**SAMUELI PRYSS,**

S. S. Theol. PROFESSORI ad regiam hanc Academiam  
celeberrimo, utriusque Consistorii ADSESSORI æqvissi-  
mo, ANTISTITI Ecclesiæ Pæmarense dignissimo, nec  
non Inspector nationis Satacūdensis benvolentissimo,  
**MÆCENATI MAGNO.**

*Viro maxime Reverendo atq[ue] Amplissimo*  
**D:no Mag. GABRIELI FORTELIO,**  
Diœceſeos Borgâensis ARCHI PRÆPOSITO famigeratissi-  
mo, Templi Cathedralis ANTISTITI adcuratissimo,  
Consistorii ibidem Ecclesiastici ADSESSORI primario  
æqvissimo,  
**MÆCENA II OPTIMO.**

**P**rodeat affectus tacitus jam lucis in auram,  
Patronum celebrans ampla satis merita.  
Cauffa mibi est grandis, cur scandat limina Vesta.  
Obsequii pignus, quod mea dextra refert.  
Quamvis non deceant, nisi maxima munera, magnos,  
Attamen exigua his saepe placere solent.  
Sollicito precibus, consueta fronte benigna  
Addite chartaceis dotibus bisce jubar.  
Vesta colam gratius benefacta tubens ego semper,  
Queis me mactasis non semel immeritum.  
Insimul & pergam calidissima fundere vota, ut  
Omni vos Dominus prosperitate beat!

Max. Rev. atq. Ampliss. Nom. Vest.

*Cultor bumillimus,*  
**ANDREAS ACHANDER.**

Admodum Reverendo atque Praeclarissimo Viro,

D:no NICOLAO TOLPO,

Ecclesiarum Cumânsium Antistiti longe meritissi-  
mo, vicini districtus Præposito gravissimo, Patrono  
& Fautori, qvovis honoris & observantiae cultu æ-  
tatem colendo, devenerando.

Viro Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,

D:no Mag. MICHAËLI LEBELL,

Pastori ecclesiarum Bicerneburgensium & Ulfsbyen-  
sum laudatissimo, Patrono & Fautori jugi honoris  
cultu suscipiendo:

Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo Viro,

D:no Mag. MICHAËLI FORSELIO,

Designato ecclesiarum Euraâminnenium Pastori lau-  
datissimo, Fautori ut optimo, ita sincero affectu  
nullo non tempore venerando.

**G**ratia Vestra, erga arva Musarum colentes, mibi submis-  
sin pietatis atque observantie, diu in pectore latitantis red-  
tores Optimi, sacrare. Tantus vero beneficiorum Vestrorum in-  
sufficiat facundia. Gratias, quibus precordia tumescunt, non  
Cultu Nominum Vestrorum, laudumque Vestrarum cele-  
se, quod, in obstrictissimæ mentis tessera m., Vobis consecro liba-  
tem, leviter adumbrans. Diligentissimas simul ad Summum Nu-  
state in ultimos conservare mortalitatis terminos, quò habeant  
exoptatissimos. Hec in mortalium contuber-

Adm. Rev. Ampl. Rev.

Cultor obser-

ANDREAS

*Amplissimo atque maxime spectabil'i Viro,*

**D:no GUSTAVO KROOK,**

Satrapiae Aboënsis, Biørneburgensis & Alandiae Camerario longe meritissimo, Nutritio ut indulgentissimo, ita Patrono omni pietate ad urnam usque proleqvendo.

*Viro Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,*

**D:no NICOLAO HEDEEN,**

Ecclesiârum, qvæ DEO in Lætala colligantur, Pastorî vigistantissimo, Fautori ac Patrono multis non minibus æternum colendo.

*Viro Praeclarissimo, Domino*

**Mag. JOHANNI KRAETMAN,**

Rectori Scholæ Trivialis Biørneburgensis meritissimo, ut ante hac in Academia Docenti dexterissimo, ita jam Patrono & Fautori certissimo, pia animi veneratione perpetim proleqvendo.

nistrat ansam, banc Dissertatiunculam, obtuso filo delineatam, hostimentum ulteriorisque favoris spem, Vobis, Patroni ac Faute me collatorum est numerus, ut ad ea iuste celebranda mea minime impræsentiarum modo, sed æternum etiam Vobis sum habiturus, bratione, nihil mihi est ac erit jucundius. Accipite jam gratiosum utilitatem ex consideratione immortalitatis animæ suæ, attollam palmas, velit Vos omnigena cumulatos præsperifamilie ac clientes in Vobis Patronos & Fautores certissimos, nro degens nuncupaturus erit vota,  
& Praeclar. Nom. Vest.

*vantissimus,  
ACHANDER.*

Viro perquam Reverendo atque Doctissimo,

D:no MATTHIÆ FORSINIO,

Sacellano in Ulsby meritissimo, ut antea Nutricto  
liberalissimo, ita jam Fautori gratissima semper men-  
te honorando.

Perquam Reverendo ac Eruditissimo Viro

D:no ANDRÆ FLAMENIO,

Comministro in Cumâ & Harjavalda dignissimo,  
Fautori perpetim reverenter habendo.

Viro Reverendo atque Doctissimo,

D:no ANDRÆ LINDSTEE<sup>N</sup>,


Ministerii Ulsbyensis Adjuncto vigilantissimo, Fau-  
tori & Amico semper benivolo.

In gratissimi mortalium incurrerem notam, nisi benivolentiae Vestrae, cuius documenta erga me lubentissimi declarare voluſtis maxima, memor exſiterim. Ast cum iisdem remunerandis non ſufficiam, ſed omnia in mero conſtant conamine; idcirco in gratissimi animi pignus primitias has Vobis offero. Illas itaque placido accipite vultu, meque, ut antea, ita & in posterum, ſecundo favoris Veftri vento pergitte beare. Meum e diametro erit, ad DEUM O. M. qui ſolus fata moderatur, ſupplices tendere palmas, ut Vos omnigena felicitate abundantes quam diutiffime florere jube-

at! Permansurus

Nominum Vest.

Cultor obſtrictissimus,  
ANDREAS ACHANDER.



Ortalibus nil incumbit magis, quam ut magna  
lia Optimi Numinis, sedulo & ea qua  
decet pietate, rimentur. Qvo etenim di-

**M**ortalibus nil incumbit magis, quam ut magna  
lia Optimi Numinis, sedulo & ea qua  
decet pietate, rimentur. Qvo etenim di-  
ligentius eorum scrutantur excellentiam,  
eo ardenter Summum Bonum cognoscere, Illud a-  
mare atque glorificare possunt. Totum hoc uni-  
versum, tam quoad singulorum naturam ac stru-  
cturam artificioissimam, quam quoad omnium,  
numeri licet stupendi varietatisque admirandae,  
combinationem ac nexum amicissimum, infinitam  
Conditoris testatur potentiam, sapientiam ac bo-  
nitatem. Si ars laudat artificem; quid mirum,  
si universi hujus magnitudo atque præstantia O-  
ptimi Artificis celebret manus, ac venerabundum  
penes eos exciter affectum, qui illud non fugitivis  
sed perspicacibus contemplantur oculis? Hæc ve-  
ro omnia mentis ope a nobis cognoscuntur. Qvis  
itaque dubitare ausit, nostra interesse, illam, &  
quid de ea rescripsi potest, cognoscere? ex qua co-

A

gnitio-

<sup>2</sup>gnitione sui ipsius plurima ad homines redeunt emolumenta. Quantum enim anima corpore est nobilior, tantum ea, qvæ ad animam spectant & statum illius perficiunt, præferenda iis, qvæ corporea atqve mundana sunt. Hinc, si in aliis rebus investigandis homo omnem poneret industriam, sui autem considerationem negligereret, non procul abesset a dementia. Etenim ubi naturam atqve facultates suas ignoraverit homo, tantum abest, ut animi atqve corporis sui donis felicitatem suam & aliorum promoteat, ut potius sibi & aliis officiat. Qvomodo enim qvis cætera, qvæ novit & possidet, in usum suum vertere potest, dum nobiliorem sui partem, animam puta, ignorat, ad qvam perficiendam alia tendere debent? Qvomodo facultatum suarum usum extendat, qvomodo animam virtute imbuat, qvomodo vitia animæ tollat, ubi facultates suas, sedes atqve naturam virtutis atqve vitiorum, nesciat? Eundem in his omnibus experitur successum, atqve ille, qui licet corporis structuram, humorum circulationem, animi passiones & morbi symptomata ignoraverit, regulas tamen medicas praescribere non erubuerit. Eo itaqve magis necessaria mihi semper vita est debita animæ & facultatum illius consideratio, quo certius sum convictus, illius neglectum multos reddidisse infelices, & multa mala, multos tumultus in omni societate excitasse. Dum itaqve de publico specimine exiguæ eruditionis meæ cogita-

vi, maxime mihi arrisit argumentum illud, qvod traderet utilitatem ex consideratione immortalitatis animæ fluentem. Qvum vero ingenii mei vires nobilissimo huic argumento non respondeant, mi- tiorem censuram L. B. expeto.

§. II.

**C**Orpus esse desinit, dum particulæ, qvæ com- binatæ corpus constituunt, a se mutuo sepa- rantur. Anima autem, cujus operationes, a me- chanica qvippe agendi ratione diversæ, simplici- tatem illius arguit, destrui alio modo non pot- est, qvam annihilatione, idqve solius DEI Omni- potentis manu. Disrupto vero vinculo, qvo cum corpore unitur anima, perseverat hæc in esse suo, suæ naturæ congruas edit operationes, ideas ha- bet distinctas, & antea a se actorum sibi est con- scia. Hoc animæ donum immortalitatis nomine nuncupatur. Qvod vero DEUS, licet ratione o- mnipotentiæ suæ possit animam annihilare & de- struere, velit eam in omne ævum conservare, id non modo ex bonitate & justitia divina solet col- ligi, sed etiam ex fine animæ appareat, qvi invol- vit DEI voluntatem de perpetua ipsius existentia. Cognoscitur hic ex natura & attributis DEI Crea- toris, atqve ex natura animæ & ipsi concessis fa- cultatibus. Plures hæ sunt, qvam ut conservatio- nem corporis, velut unicum & proprium respi- cerent finem. Finis itaqve idem animæ est, qvi omnium creaturarum, gloria DEI. Duplici ratio-

**¶** ne illa promoveri potest, vel quod creatura occa-  
sionem aliis præbeat infinitas DEI perfectiones: co-  
gnoscendi, vel quod ipsa easdem cognoscat sibi que  
repræsentet. Piores dicuntur mediate vel objecti-  
ve, hæc immediate vel subjective gloriam divinam  
promovere: Illorum existentia non est necessaria,  
quousque finis durat; postquam enim ex his obje-  
ctis creaturæ rationales DEUM, Ejusque attributa  
cognovere, ad finem ulterius non conducunt. Sed  
aliter se res habet cum rationalibus, absque quic-  
bus gloria DEI concipi non potest. Cum vero  
DEUS non possit non semper gloriam suam velle  
tanquam finem, media hæc etiam velit, necesse  
est; ita ut creaturis rationalibus, adeoque etiam  
animæ humanæ cum suis facultatibus existentiam  
perpetuam largiatur. Instituti ratio non exigit, ut  
operosius demonstrem, immortalitatem animæ com-  
petere. Sumo potius veritatem illam, ut a Philo-  
sophis demonstratam, & religione Christiana  
confirmatam. In hoc enim argumento probando  
suam industriam desiderari non possunt Philoso-  
phi. Nil etiam magis & sèpius inculcant Sacrae  
Pandectæ, quam animæ nostræ immortalitatem, &  
statum illius post mortem felicem vel infelicem,  
prout vitam hec egimus vel bonam vel malam.

**§. III.**

**I**mperfectionis certissimum est indicium, usu & tem-  
poris successu mutari in deterius, senescere as-  
que penitus destrui. Immortalitati autem debemus,

quod

qvod neqve temporum neqve ullius unqvam cre-  
aturæ injuria senecamus , multo minus penitus de-  
strui possimus. Hinc , qvi ad animæ suæ immor-  
talitatem serio attendit , non potest non illam , ut  
singulare Conditoris donum , maximi face e. Ni-  
mirum , prout existentia a te & absolute necessa-  
ria , est perfectio infinita , soli DEO competens ; i-  
ta perseverentia in existendo nunquam terminan-  
da , tanta , qvoad hoc reale , est perfectio , qvanta  
in ens finitum cadere unqvam potest. Immortal-  
tatis itaqve debita consideratio efficit , ut pro tan-  
to dono Conditorem celebremus , nosqve iis cre-  
aturis , qvibus illa denegata est perfectio , longe æ-  
stimemus præstantiores. Dum autem immortalitas  
nos inter præstantissimas creaturas referendas esse  
docet , monet insimul , nos vitam agere debere ,  
creaturæ tanta perfectione præditæ dignam. Nul-  
lum enim in moralibus magis evidens est asser-  
tum , qvam qvod agere debeat ens liberum , qvod  
illud decet. Iam , cum magna magnos deceant ,  
cumqve immortalitas perfectio creaturarum tanta  
sit , ut ea sublata , in pristinum suum nihil deci-  
dant , qvis non videt maximam asserti nostri evi-  
dentiam ? Injungit infinita Conditoris sapientia , ut  
credamus eum talem nos velle agere vitam , qva-  
lem fert facultatum nostrarum conditio. DEUM  
enim truxtra variis nos donis ornasse cogitare &  
absurdum & impium est. Ulus rerum & faculta-  
rum sunt fines earum. Qvi contra hoc principi-  
um

um agit, Divinum opus de honestat, & deterius reddere annititur. Facultates etenim quatenus possidet optimas, inter præstantiores creaturas est referendus. Quatenus vero actiones liberæ sunt illis contrariae vel inferiores, se in earum numerum collocat, quæ minoris sunt pretii, immo culpa sua pessimæ.

## §. IV.

**P**rout vero omnis perfectio & facultas excellens enti intelligenti concessa, sua vi moveat illud ad studendum virtuti, & abstinendum a vicio, ita immortalitatis animæ consideratio alias perfectiones eo in puncto antecellit, qvod vi ejus in æternum animæ obversentur illius actiones, prout fuerint naturæ luæ vel convenientes vel inimicæ, h. e. prout fuerint vel bonæ vel mala. Si anima desineret aliquando esse lui & malorum suarum actionum conscientia, si anima aliquando penitus destrueretur, esset tum aliquale, licet miserum, scelerorum solamen. Verum cum conscientia eorum indesinenter ipsis oculos ponat mala antea acta, miseriem & malum inde propria culpa attractum, immo odium Conditoris, qvod culmen est miseriarum; sane tedium hinc retulans maximum, si nil unquam aliud, eos a vicio abstinere deberet. Neque minora hinc ad continuum & indesinentem virtutis progressum sumi possunt incitamenta. Si enim virtuosi in æternum bonarum suarum actionum reminiscantur, si comoda

7

moda hinc in se & alios emanantia, si finem, si  
vias imperscrutabiles Conditoris Optimi cum actio-  
nibus suis conferant; verbo: si homines se esse &  
actiones se egisse hominibus dignas meminerint,  
tane erit hic tantus virtutis stimulus, ut major  
vix fingi possit. Nil fere tam durum atque ar-  
duum est, ad quod lubeundum lucro plerumque  
vano non adigi possint mortales. Ipsa autem im-  
mortalitas efficit, ut virtus sui ipsius sit merces  
atque lucrum, non vanum atque temporarium,  
sed constans, & toties sine intermissione & immi-  
nitione iteratum, quoties actiones suas optimas in  
memoriam sibi revocat virtutis cultor.

¶. V.

**E**X adductis est manifestum, quam late pateat  
immortalitatis consideratio in virtutis exercitio,  
quippe ad omnes virtutes, & ad omnes creaturas  
intelligentes se extendit. Idem ulterius patebit, ubi  
consideraverimus statum futurum vel felicem  
vel infelicem, ex bene aut male actis in hac vita  
dependentem. Quemadmodum enim Sanctitati Di-  
vinæ non placent, nisi ea, quæ cum natura creatu-  
rarum, vel, quod eodem recidit, cum fine Con-  
ditoris convenient, ita sapientia illius rerum fatalis  
eo dirigit, ut respondeant bene vel male actis crea-  
turarum, h. e. bonos præmiis donat, malis autem  
penas irrogat. Scilicet, cum in hac vita virtus  
ac virtuosi a vicio ac vitiosis opprimantur non ra-  
no, exorietur procul omni dubio seculum, in quo  
meta-

metamorphosin subibunt hæc omnia, Divinæ sapientiæ & bonitati convenientem. Si nævos in ope-  
re suq evitat homo fragilis, cinis & pulvis, tane qvin idem faciet bonitas & sapientia Divina infi-  
nita, blasphemum priorius foret cogitare.

## § VI.

**T**anta autem est vis pœnarum atque præmio-  
rum ex immortalitate dependentium in diri-  
gendas actionibus entis liberi, ut sine illis nulla so-  
cetas bene consistere ullo modo possit. Non ne-  
go pœnis civilibus coërceri malos, bonos autem  
muniri; qvum vero scelerorum sagacitas huma-  
nam prudentiam eludat haud raro, qvis non videt,  
vincula civilia, sublata animæ immortalitate, non  
sufficere? Fatemur quoqve, adesse jam in hac i-  
pla vita præmia & pœnas naturales, qvæ patra-  
tam actionem inseqvuntur, sed neqve hæc sufficere  
mihi videntur ad commovendos homines, ut rite  
actiones suas voluntati Divinæ conforment. Ut e-  
nim taceam, pœnas has non tantum injustos, sed  
etiam interdum justos premere, illos ex malitia,  
hos ut plurimum ex imprudentia, multa quoqve  
illorum incommodorum hominum calliditas evita-  
re valet. Qui vero animæ suæ immortalitatem con-  
siderat, qui cogitat pœnas & præmia post mortem,  
actionibus suis, prout fuerint bonæ vel malæ, cor-  
respondere, adest hic vinculum, qvod nulla vi dis-  
rumpi, nulla sagacitate eludi potest. Nimirum  
præmia ac pœnae sunt velut gubernacula omnium  
actio-

9

actionum nostrarum moralium. In bonum ferimur omnes, malum averlamur omnes, licet hac facultate, quam benignissimus nobis indidit Conditor, ita abutantur perversi, ut actionum bonitatem ex proprio commodo vano & sensuali aestiment. Hinc illæ querimoniæ, hinc omnes discordiæ, & omnia flagitia, ut ex fonte profundo, ast infelici, scaturiunt. Tanto autem malo feliciter medetur animæ immortalitatis debita consideratio. Nimirum, qui cogitat, te minutissimam duntaxat particulam durationis suæ in hac mortalitate transigere, qui cogitat, Justitiam Divinam sufficienter & rite in futura vita compensare actiones pro eorum qualitate, sane non poterit aliud, quam suam & aliorum pro virili in hac fragilitate querere perfectionem, ut spem de futura quoque felicitate habere possit. Quemadmodum haec, puta immortalitatis consideratio, generale est vinculum, ita homines omnium ordinum, & omni tempore strigit. Officia liberorum atque parentum, servorum atque dominorum, subditorum atque principum, immo integrarum nationum invicem urget, conservat, munit. Si futuram vitam ignorantem homines, bone DEUS, quam misera tum esset mortalium conditio? Quemadmodum vitæ finem sibi cum brutis animantibus eundem esse existimarent, ita vitam agerent homine non tantum, sed brutis quoque inferiorem. Natura enim & pleraque brutorum paucis sunt contenta; ast homo, non ma-

gnus adeo, sed insatiabile animal, ubi frœna cupiditatibus suis laxat, se ipsum reddit miserum & plurimorum felicitatem turbat. Si enim effatum Sap. II: vers. vi, seqq. trito quodam Epicureorum apophthegmate comprehensum: *Ede, bibe, lude,* post mortem nulla voluptas, mortalium esset norma, infinita inde vitiorum genera, pro varia vitorum prava inclinatione, exorirentur, alerentur & continuo augerentur. Non privata tantum & societas minores, sed etiam integræ civitates & personæ, publica auctoritate munitæ, prætentissimo exponerentur periculo. Cives felicitatem publicam privatæ postponerent, & ad illicita se converterent. Hinc tumultus, seditiones atque prodiciones. Adversus Imperanteum infideles essent atque immorigeri. Unde securitas, immo vita ipsius Imperantis periclitaretur. Eodem modo, si ille, cui reipublicæ concredita sunt gubernacula, immortalitatis animæ suæ considerationem negligeret, reipublicæ felicitatem parum curaret; sed ex adverso omnia ad te ipsum & suas voluptates referret. Civium labore atque sudore, non ad civitatis commodum, sed ad proprias explendas cupiditates ureretur, quibus non bona tantum, sed ipsam civium vitam longe postpeneret.

## §. VII.

**N**ulla eqvidem est societas, quæ non ex animæ immortalitatis consideratione multa experientur commoda. Fingamus autem hominem ab alio-

rum invasione atque injuria esse immunem. Fingamus eum divitiis & omnigena mundana felicitate abundare. Ne tum quidem, nisi ex minima parte, sibi sufficeret, si debita animæ immortalitatis consideratio abesset. Si enim animæ suæ immortalitatem prorsus ignoraret, inter ipsas opulentias nimium esset inquietus, dum mortem & vitæ suæ cogitaret brevitatem. Si animæ immortalitatem non nesciret quidem, sed illius considerationem negligeret, exhorresceret prorsus, dum ipsi etiam invito oboriretur cogitatio de Iustitia Divina, facta sua in altera vita compensatura. Qui vero animæ suæ immortalitatem serio cogitat, neque in secundis elato est animo, neque in adversis eum abjicit. Novit enim etiam eos, qui ultimos mortalitatis terminos attigerunt, ne millionesimam quidem partem durationis futuræ contumisse. Adeoque vita hujus seculi cum immortalitate collata, felicitas mundana, & que ac illius aspera, fere evanescunt. Nimirum, qui magna neque habent neque sperant, etiam minora magni aestimant. Qui vero in maxima defixum habent animum, minutias vix in calculum sumunt. Hinc est, quod animi quietudo atque constantia inter certiora indicia hominis vere virtuosi referri debeant.

**Q**uemadmodum vero debita animæ immortalitatis consideratio statum futurum vel felicem vel miserum repræsentat, ita hominem impellit,


ut de futuris bene sibi prospiciat. Qvod nullo modo fieri potest, sine vita integra Conditori placente. Hic autem, rationi sibi relictae, undique obveniunt nodi insuperabiles. Ex una parte videt, se nullo modo semet extricare posse ab innumeris iis difficultatibus, quæ impediunt, ne vitam ad amus- sin legis naturæ instituere possit. Ex altera parte videt, cultum atque DEUM placandi modum fitium, sanctissimo Conditori ingratum admodum esse. Quid itaque aliud superest, quam ut tanti imminentis mali medicinam aliunde querat? Nimirum immortalitas est veluti paedagogus ad re- velationem, quam eo cautius rimatur, & eo avi- dius arripit homo, quod videt evidentius, omnium animæ suæ morborum præsentissima tibi reperiri remedia.

### §. IX.

**F**Acultatum mearum conditio non permittit no- bilissimum hocce argumentum fusius evolvere. Vel ex allatis appareat, dogma de immortalitate animæ esse maxime fundamentale, & arctissimum cum existentia Philosophiae moralis & felicitate no- stra habere nexus. Prius vero quam huic opuscu- lo impono colophonem, verbo tantum coronidis loco obveniam iis, qui forsan animæ immortalita- tis considerationem tanti non aestiment. Dicendo: multos admodum nosse, animam se quidem habere immortalem, qui tamen nihilominus vitia horren- da committunt. Non nego, quod lugubris testatur expe-

experientia; sed contendō, non sufficere notitiam  
 alicujus rei, ut eadem potiamur, sed reqviri in-  
 super praxin atqve usum, tanto cautiorem atqve  
 ardentiorem, qvo majoris res, qvam novimus, fue-  
 rit momenti. Qui novit qvodammodo animæ suæ  
 immortalitatem, ast illam non nisi invitus & obiter  
 toties cogitat, qvoties notabilior aliquis casus eum  
 ad hoc ipsum impellit, sane commoda, qvæ in an-  
 tecendentibus breviter exposuimus, ex omni parte  
 experiri non potest. Studio diximus, ex omni par-  
 te. Nam si omnis prorsus abesset cognitio immor-  
 talitatis, si abessent compunctiones acerbissimæ ex  
 cognitione hac penes scelestos, iis etiam invitisi,  
 exortæ §: VII. contendō, faciem generis humani  
 longe futuram miserabiliorēm. Faxit DEUS, ut  
 immortalitatem animæ nostræ in hac fragilitate ita  
 consideremus, ut lucrum nobis inde sit immortale!

*Qui immortalem animā mortali condidit, Huic jam  
 sit soli immenso, Gloria summa DEO!*



## Herralle Maanmiehelle.

**N**gar' on asia se juur' jost's juttelet / Osthywān are  
mas /  
Kirjasa caunisa täh. Så Sielun luondoq tutkit /  
Näytät sen selewåst / ett' Sielum alati phsy.  
Hän ei tähjäri meist' taid' tull' eik' / loppua saada.  
Tain hänell' sinä sit' osotat ratk' suureksi labjäx /  
Ett' tämä tutkido paljon meil onnea tuotta /  
Peruän cosec ajatteleman sijin tamasa jaatta:  
Euing' håll' sitten kän/ cosec aica loppumut omhi?  
Wiel' tätä paiz ei taid' myös Wallat sellowat olla.  
Hyvä sijit' paljon eans' saa eik' caiksa sääddas /  
Cosec tämä totuus ain juur felivåså muistosa phsy.  
Nyt olis awara null tila koll / Toverihani/ Ektia  
Sun arvijas/ ja euing' caunist' olet wiettähjt aicas;  
Mutt' ei tarwita tät'; sill' End's ien janoa taita.  
Toivotan ainoastans Sull' aicomuksas onne!  
Tiedän myös wifist' / ett' niincuin Wissaus ennen  
Pälveliains palecan runfast on maxanut aina;  
Nyt ei Sinuacan suungan hän unhoda pojies.

Maanmiesten pirelest / hättässt  
selitti mielens  
**ABRAHAMUS TACKOU.**